



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

Cap. II. S. Linvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

verò epistola, quam eisdem scripsit, quibus & primum miseratus eisdem iam vt perfectiores ad maiora & perfectiora multipliciter *Marci Euan.* commonet, & hortatur. Et Euangelium Marci fecisse dicitur, quia Marcus adiutor eius fuit, & filius de baptismo. Ordinavit autem Episcopos tres, Linum, & Cletum & Clementem, & presbyteros 10. & Diaconos 7.

## CAP. II.

## S. LINVS.

A. LXIX.

**L**INVS natione Italus, regionis Tusciæ, patre Herculiano, sedit annos 11. menses 3. dies 12. Fuit autem temporibus Neronis, à consulatu Saturnini & Scipionis, vsq; ad Capitonem & Rufum consules. Sub quibus martyrio coronatur die nono Calend. Octob. Hic ex præcepto beati Petri constituit, vt mulieres velato capite in Ecclesiam introirent. Hic ordinavit Episcopos 15. presbyteros 18.

## CAP. III.

## S. CLETVS.

A. LXIX.

**C**LETVS, natione Romanus de regione vico patritii, patre Æmiliano, sedit annos 2. mensum vnum, dies vndecim. Fuit autem temporibus Vespasiani & Titi, à consulatu Vespasiani 7. & Domitiani 5. vsque ad Domitianum 9. & Rufum consulem: sub quibus martyrio coronatur, sexto Calend. Maii. Hic ex præcepto B. Petri 25. presbyteros ordinavit in Roma. Nota hos duos. Linum & Cletum nihil Pontificale, nisi ex præcepto B. Petri egisse, vnde constat eos coadiutores eius, non successores fuisse.

## CAP. IV.

## S. CLEMENS.

A. LXXIII.

*a Adhac respondet Baron. 1. tom. ann. 69.*

**C**LEMENS, natione Romanus, de regione Cælio monte, ex patre Faustino, sedit annos 9. menses 2. dies 10. Fuit autem temporibus Galbæ & Vespasiani à consulatu Tragali & Italici, vsque ad Vespasiani 9. & Titum\*. Hic quamuis in ordine Catalogi post B. Petrum tertius inueniatur, reuera tamen, sicut ipse in epistola scripsit Iacobo Hierosolymorum Episcopo post beatum Petrum primus